

998

subsecutus est: sed naves quæ præcefferant, insulam, circa quam Narentanos oppressos diximus, ante Ducis adventum cepere: quo factum est, ut sub Urseoli appulsum Belgradenses & Tragurini legati præsto affuerint, imperium & ipsi accepturi; hi quoque in Ducis verba publico nomine jurant, perpetuo se in fide, quam supplices implorassent, mansuros. Est Tragurium Dalmatiæ insula, cum oppido ejusdem nominis ab Isseis condito, continenti pene contigua. Erat in ea insula Suringa Croacius, Murcimiri frater: is post deditio- nem factam Stephanum filium Duci obsidem dedit, cui post- ea Venetus Hicelam filiam matrimonio locavit. Mota dein- de classis ad reliqua Dalmatiæ loca, Spalatumque (urbs ea tempestate opulentissima) finitimorum deditio- nem secutum, Venetum intra mœnia accepit. Corcyram deinde nigram Im- perium recusantem Urseolus expugnat: eam hodie *Cursulam* appellari audio. Secundum hæc quæ diximus, Venetæ tri- remes ad Pharum insulam admotæ: rupibus ferunt abruptis undique locum mediis fluctibus prominere (hanc quoque cor- rupto nomine recentiores *Lefnam* pro Pharo dixere) atque ideo procul spectantibus inexpugnabilem videri. Insulæ na- tura freti Narentani, maria latrociniis ad eam diem infesta- rant: huc sese piratæ velut in arcem tutissimam, quum opus erat, recipere consueverunt: urbs ad hæc in illa fuit natura & opere munitissima: circa ea loca Veneti negotiatores sæ- pius capti fuerant, ac mercibus spoliati. Occupant repente triremes insulæ portum: tentatique sunt oppidanorum ani- mi, ut aliorum deditio- nem secuti Veneta nollent experiri ar- ma: stultum esse dicere, malle omnia infanda pati, ac cum his vitæ etiam discrimen adire, quam salvis liberis & fortunis pacatum Venetum intra mœnia accipere. Identidem igitur monere, viderent ne sua pertinacia pergerent Veneta in se arma irritare: fore ut postquam obsidione premi cœpissent, nullus superesset amplius veniæ impetrandæ locus. Appare- bat Pharenfes accepturos præsidium, aque imperium conti- nuo facturos, si eisdem conditionibus acciperentur, quibus & reliqui populi fuissent: sed veriti quod erat, ne Venetus urbem in suam potestatem redactam funditus everteret, cha- ritate

Pharum in-
sulam expu-
gnat.